

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



49
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XVI.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICVLI VII.

DE ECCLESIA,

Et in specie,

De duabus Becani conclusionibus, Ecclesiam visibilem esse Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam, Sponsam Christi, Domum Dei, Columnam & firmamentum veritatis:

Et; Extra hanc visibilem Ecclesiam neminem posse salvari.

Proposita,

In Electorali Academia VVittebergenli,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

JOHANNES Hoffmeister / Alfeldiâ-Brunsvigio.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 11. Julii.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLECTIO
In Augustini
DE BEGGIA
De quibus
JACOBO MARTINI
JOHANNES
Typis
Anno MDCXXX





D. O. M. A.

Continuatio.



Uæ de prima Becani quæstione sive conclusionem monenda & refutanda fuerunt, vidimus; sequuntur nunc secunda & tertia, quæ agunt de unitate, sanctitate & similibus attributis Ecclesiæ, itemq; an quis extra Ecclesiam visibilem salvari possit: De quibus breviter.

T H E S I S I.

Quæstionem sive conclusionem secundam proponit his verbis: *Hæc visibilis Ecclesia est Una, Sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, columna & firmamentum veritatis.* Et in genere addit s. ii. *Hanc etiam admittit Calvinus loco citato; Et merito. Nam scriptura, symbola fidei & Patres passim ita docent.*

II. Ubi initio tenendum, conclusionem illam non aliter quam absolutè, de Ecclesia, quatenus est visibilis, intelligi posse: Cum Becanus tantum Ecclesiam visibilem agnoscat & definiat, invisibilem verò neget & abjiciat: Ita verò acceptam, sophisticam, ambiguum, imò falsam esse: Quod multi se cœtui Ecclesiæ visibili admisceant, qui ad unitatem illam spirituale non pertinet, cum neq; sancti sint, neq; filij Dei, ac proinde nec sponsa Christi, nec columen nec firmamentum veritatis. Quid? Quod ipsimet Pontificij concedere ac fateri cogantur in cœtu visibili tam malos quam bonos esse: Quomodo ergo illam suam propositionem defendent? Non possunt, nisi tandem nobiscum inter visibilem & invisibilem Ecclesiam distinguant, statuuntq; Ecclesiæ ea tribui synechdochicè, respectu fidelium, ac

verè credentium: utpotè propter quos solos vera, Sancta & Catholica Ecclesia dicitur: Cum mali visibili Ecclesie admitti non sint vera ac viva Christi membra, adeoq; nec vera membra Ecclesie *Ephes. 4. v. 16.*

III. Quod cum sit certum & à Jesuita negari nequeat; sequitur, falsum esse, quod subijcit Becanus, admittere Conclusionem istam (nempe in sensu isto Pontificio & Jesuitico) Sacram scripturam, Symbola fidei, & passim Patres ita docere. Nam in scriptura tantùm illi dicuntur filij Dei, qui spiritu Dei ducuntur *Rom. 8. v. 14.* Illi tantùm ex Deo esse, qui verbum Dei audiunt, & qui illud non audiunt, ex Deo non esse, *Job. 8. v. 47.* Et in Christo totum corpus esse & coagmentari *Ephes. 4. v. 16.* Symbola Ecclesiam veram & vivam definiunt Sanctorum Cõmunionem. Eadem Patrum est doctrina. Augustino, *Ecclesia, Populus Dei & Corpus Domini*, sunt synonyma. Sic enim scribit, libro de catechizandis rudibus cap. 3. *Neg, enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia, quæ in sanctis scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, & futura præsignaretur Ecclesia, id est populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus.* Et Ambrosius in *ψ. 118. serm. 15.* non procul à fine: *Civitas Dei, inquit, Ecclesia est, Ecclesia corpus est Christi.* Et sic cæteri omnes à potiore parte, nempe fidelibus, Ecclesiam describunt.

IV. Falsum est insuper, quod Calvinus loco citato cum Becano consentiat. Quandoquidem rectè distinguit, in Ecclesia visibili inter vera & viva ejus membra, & infideles. Sic enim scribit lib. 4. cap. 1. §. 2. *Ideo & credendi verbum ponitur: Quia nullum sæpe discrimen inter filios Dei & prophanos, inter proprium ejus gregem, & fera animalia notari potest.* Intelligitur inde Ecclesiam Calvino propriè dici filios Dei, & proprium Christi gregem, qui invisibilis est.

V. Unitatem porrò Ecclesie ita describit, & probat Becanus: *Dicitur autem Ecclesia una propter unionem & consensum eorum, qui in Ecclesia sunt. Omnes enim unam eandemq; fidem profitentur, juxta illud Apostoli Eph. 4. v. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Et qui recedunt ab hac fidei unitate, propriè sectarij & heretici*

reti appellantur. Itaq; ad eam conservandam, sæpè hortatur nos idem
Apostolus Rom. 16. v. 17. *Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; Et declinate ab illis. Et 1. Corinth. 1. v. 10. Obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, & Heb. 13. v. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*

V I. Ubi initiò notandum, unitatem Ecclesiæ ita à Beccano describi, ut iurares, ipsum per omnia nobiscum facere. Sed cave sis, nimium ne crede colori: Latet enim anguis in herba; Quandoquidem loquitur Jesuita de unitate, quæ consistit in externo consensu fidei historicæ; Quæ verò veram Ecclesiæ unitatem non facit, sed duntaxat verbi salvifici, & fidei salvificæ unitas est unitatis Ecclesiæ formalis ratio Job. 17. v. 14. Uti & Apostolus Paulus Eph. 4. nullam aliam unitatem, quàm fidei salvificæ intelligit: quemadmodum ex contextu id est manifestissimum. Sic enim se explicat v. 3. & 4. *Studentes servare unitatem spiritus, per vinculum pacis. Unum corpus & unus spiritus: Quemadmodum & vocati estis in una spe vocationis vestrae. Et rursus Johan. 17. v. 11. Ipse Dominus orat: Pater sancte serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos!* Vide disputationem 12. huius tertij Collegij, thesi 26. & seq.

V II. Quocirca licet Augustinus lib. de fide & symbole cap. 10. Inter hæreticos & schismaticos hoc discriminis ponit, quod illi de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violent: Hi autem dissensionibus iniquis à fraterna charitate desistant, quamvis ea credant, quæ credimus: Id tamen notandum quoq; est, charitatis hanc conjunctionem sic à fidei unitate pendere, ut hæc illius initium, finis, unica deniq; regula esse debeat. Quocirca meminerimus, quoties Ecclesiastica unitas nobis commendatur, hoc quæri, ut, dum mentes in Christo consentiunt, voluntates etiam nostræ mutua in Christo benevolentia inter se junctæ sint. Quare Apostolus, dum ad illam nos hortatur, pro fundamento sumit, unum esse Deum, unam fidem, & unum baptisma; imò ubicunq; nos idem sentire, & idem velle docet, continuò addit, in Christo, vel secundum Christum: significans

impiorum esse factiones, non conpirationem fidelium, quæ sit extra verbum Domini, & extra veram & salvificam fidem.

VIII. Ut ergo fides hæc salvifica non est omnium 2. *Theff. 3. v. 3.* Sic neq; unitas fidei simpliciter, & sine discrimine omnibus, quotquot in Ecclesia visibili vivunt, competit. Sed illis duntaxat, qui sunt vera & viva membra Christi. Quibus enim unitatis formalis ratio tribui nequit, illi neq; in unitate ista continentur: Atqui infidelibus, qui in visibili coetu baptizatorum inveniuntur, formalis ratio unitatis Ecclesiæ tribui nequit: Ergo neq; in unitate Ecclesiæ vera continentur.

IX. Interim & hoc notandum, non protinus illos sectarios sive hæreticos propriè dictos esse censendos, qui in nõnullis à fidei historice consensu discedunt, ut perperam existimat Becanus: Sed illos demum esse hæreticos, quorum error non est de quavis causa, sed de fidei articulo; Nec de hoc, quovis modo; Non de circumstantia ejus, sed de ipsa substantia: Nec de hæc etiam quavis ratione, non si in illam indirectè, & per consequentias, sed si directè impingat, ac fidem subvertat, simulq; dogma suum perversum pertinaciter & mordicè defendat.

X. Deinde recenset Becanus §. ii. causas, ob quas Ecclesia Sancta dicatur. Dicitur Sancta, inquit, ob has causas. Primò, quia nemo in eam ingreditur, nisi per baptismum ablutus & sanctificatus *1. Corinth. 6. v. 11.* Hæc quidem fuistis, sed abluti & sanctificati estis. Secundo quia nomina ipsius instituta, ceremonia, sacramenta & doctrina ad sanctitatem ordinantur. Eò enim spectant, ut vel sancti efficiamur, vel in sanctitate crescamus & conservemur. Tertio, quia extra illam nulla potest esse sanctitas. Quarto, quia Christus, qui est caput & sponsus Ecclesiæ, est sanctus sanctorum. Addit Calvinus lib. 4. institut. cap. 1 §. 17. Vocari sanctam, quia quotidie proficit in sanctitate & ad metam sanctitatis aspirat. Nec obstat, quod multi mali sint in Ecclesia. Potest nihilominus vocari Sancta, tum propter rationes allatas, tum etiam quia multi in ea sancti sunt.

XI. Primùm ad id, quod dicit, neminem ingredi in Ecclesiam, nisi per baptismum; Si ita absolutè, & sine discrimine ordinarii

narij ingressus, & extraordinarij intelligatur, concedi non potest: Cū duntaxat verum sit de ingressu ordinario. Alias enim multi non baptizati in Ecclesiā sunt recepti, ut latro in cruce, *Luc. 23. v. 43.* Fideiū infantes, & liberi pijs precibus Deo commendati & oblato, qui in partu extinguntur: Sic multi martyres in primitiva Ecclesia ante baptismū fuerunt occisi, de quorum tamen salute minimē est dubitandum.

XII. Deinde hoc sanctitatis elogiū tribuit Becanus Ecclesie, quatenus visibilis est: Ne ergo decipiamur, tenendum, quod hoc & alia honorifica encomia, quæ in scripturis de Ecclesia prædicantur, propriè soli cœtui verè fidelium & electorum, & sic uni ac soli invisibili Ecclesie conveniant quæ una & sola est corpus, est complementum, est Sponsa Christi: Per synechdochen tamen totius pro parte, ad totam Ecclesiam & universam visibilem vocatorum & baptizatorum cœtum referantur, idq; duplici potissimum de causa. Primò, quia, in cœtu hoc visibili sonat verbum Dei: Et administrantur Sacramenta. Quæ verò nusquam esse possunt, quin fructificēt, & Dei benedictione prosperentur, ideoq; sancti & iusti nusquam nō reperiantur. 2. Quia totus ille vocatorum & baptizatorum cœtus visibilis, præ reliquis populis, extra Ecclesiam constitutis, Deo est dicatus, Christoq; per baptismum consecratus: ubi sanctitatis alicujus respectum esse quilibet videt.

XIII. Cuilibet igitur claret, falsum esse, Ecclesiam propriè dici Sanctam, ut est visibilis, sed potius propter invisibiles electos, qui in illo cœtu visibili latent. Ut etiam agnoscit Bellarminus, quando *lib. 3. de Ecclesia militante cap. 9.* inter alias & hanc hujus elogiij reddit rationem: Nempe *dici eam sanctam propter sanctos, quos habet: Quod denominatio semper fiat à meliore.* Et habere Sanctos, proprium sit Ecclesie, ut quæ sola habeat Sanctos: sed habere malos, alijs etiam cœtibus conveniat. Imò hoc ipso in loco nolens volens veritati testimonium perhibere non sine contradictione cogitur ipse Becanus, quando in fine hujus §. sic concludit: *Potest nihilominus vocari Sancta, tum propter rationes allatas, tum etiam quia multi in ea Sancti sunt.*

XIV. Unde porrò colligitur, quid sentiendum sit de prima Becaniratione: Qua dicit. *Quod nemo in Ecclesiam visibilem ingrediatur, nisi per baptismum ablutus & sanctificatus.* Simulq; ad probandum hoc adducat dictum Pauli i. Corint. 6. v. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti & sanctificati estis.* Si enim hoc verum est, tum omnes erunt sanctificati & sic sancti, cum omnes in visibili illo cœtu sint baptizati. Illud autem verum nequaquam est. Nam licet universa illa multitudo: unum se Deum & Christum colere profiteatur: Baptismo inietur in ejus fidem: cœnæ participatione unitatem in vera doctrina & charitate testetur: Confessionem habeat in verbo Domini, atq; ad ejus prædicationem ministerium conservet à Christo institutum: In hac nihilominus plurimi sunt permixti hypocritæ, qui nihil Christi habent præter titulum & speciem: Plurimi ambitiosi, avari, invidi, maledici; Aliqui impurius vitæ, qui ad tempus tolerantur: Vel quia legitimo judicio convinci nequeunt: Vel quia nõ semper viget illa disciplinæ severitas, quæ debebat. Ergo falsum est, omnes, qui in visibilem Ecclesiam ingrediuntur, vel ingressi sunt, ablutos & sanctificatos esse.

XV. Quod attinet dictum i. Cor. 6. v. 11. Cohæret illud eum verbis proximè præcedentibus, quæ simul sumpta continent cõsolationem admonitoriam utriusq; Status Corinthiorum, prioris illius in ethnicismo, & posterioris in Christianismo, qua stimulus ejus subdit, ut, quia per Christum liberati sint, à vana sua conversatione & peccatis, dent operã, ne ad vomitum illorum revertantur, sed tanquam traducti ad Christianæ disciplinæ formam, porrò novæ obedientiæ studium sibi cordi esse patiantur: Cum etiam ad id pretioso sanguine agni immaculati, & incontaminati, Christi, sint abluti, renovatione Spiritus sancti, qui ipforum corda ab exitiali studio peccatorum ad sanctimoniam curam & culturam traduxit, sint sanctificati, & tandem hinc justificati, & in nomine Domini nostri Jesu Christi remissionem peccatorum consecuti. Ubi quædam istorum loquuntur de Dei & Christi efficaci merito; Quædam verò toti Corinthiorum cœtui, multis vitiis polluto, sensu tamen synechdochico, ut Ecclesiæ sanctitas, tribuuntur.

16. Ter-

XVI. Tertiò concedimus quidem Ecclesiam quoq; ratione finium Sanctam dici: Omnibus verò ceremoniis, Sacramentis, & doctrinis, traditionibusve Ecclesie visibilis sanctitatem illam acquiri, ut quidem malè opinatur Becanus, concedere neq; possumus, neq; debemus. Ut enim solus Deus est sanctus, & omnis sanctitatis fons & fundus: sic duntaxat ceremonie illae, traditiones & sacramenta, quae ipse instituit, & doctrina, quam ipse in verbo suo tradidit & manifestavit, ad sanctitatem illam veram ordinantur, illamq; conciliant: Minimè verò ficta illa Pontificiae Ecclesie visibilis Sacramenta, & ab omni sanctitate alienae traditiones ac ceremoniae. Cæterum veras hujus axiomatis & denominationis causas exposuimus supra disputatione 12. hujus Collegij, thesi 53. & seqq.

XVII. Tandem & intactum relinquere non possumus, quod Romanenses hanc Ecclesie sanctitatem tantam fingant, ut ipsas quoq; scripturas sanctas superare statuât, proindeq; absolutam quandam, & planè ἀνυπεύθυτον autoritatem Ecclesie conciliet: propter quam simpliciter & absolutè errare non possit in dogmatibus fidei, & in decidendis controversiis Theologicis, ita ut in quæstionibus, de fide motis, non nisi ad Ecclesiam sit provocandum, ipsiusq; solius iudicio & autoritate hac in parte standum. Quæ sententia absurdissima est, ut suis locis partim demonstratum est, & partim pluribus demonstrabitur.

XVIII. Dehinc progreditur Becanus §. 13. ad tertium Ecclesie axioma. Dicitur Catholica, inquit, seu universalis, tribus de causis. Primò ratione loci, quia per universum orbem diffusa est. *Marci 16. v. 15. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature.* Secundò, ratione temporis, quia semper duravit *Daniel. 2. v. 44. Suscitabit Dominus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Tertio, ratione hominum salvandorum, quia quotquot salvantur, in visibili Ecclesia salvantur, & nullus extra eam salvari potest. Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi & synagogam Judæorum. Hec enim nullo istorum modorum fuit Catholica, seu universalis. Non primò, quia non fuit diffusa per totum orbem, sed per
B solam

solam Palestinam. Nec secundò, quia non duravit, nisi certo tempore, nempe usq; ad mortem Christi. Nec tertio quia poterant salvari homines extra synagogam, ut Ninivite & alij.

XIX. Becanus cum suis Romanensibus circa hoc etiam attributum insignem habet errorem. Nam ipse hac in parte sequi videtur *Vincentium Monachum Lyrinensem*: Qui scriptitat: *Catholicum verè ac propriè appellari id, quod in ipsa Catholica Ecclesia ubiq; quod semper, quod ab omnibus est creditum.* Ut sic Ecclesia Catholica dicatur à propagatione doctrinæ, quæ omnibus temporibus æqualiter per totum orbem sonet.

XX. Inde enim suam primam sumit causam Becanus, ob quam Ecclesia *Catholica* dicenda sit; *Quia nimirum per universum orbem diffusa est.* Si autem hæc causa vera est, prima Novi Testamenti Ecclesia Catholica non fuit: Utpote quæ duntaxat finibus palæstinæ continebatur. Neque primitiva proximè subsequentibus temporibus continuata & amplificata fuit Catholica, quippe nunquam simul & semel per totum terrarum orbem diffusa, sed successive temporis progressu propagata & amplificata. Imò neq; moderna Ecclesia Romana est Catholica. Non enim, op. nor, statuere Becanum, Ecclesiam Romanam esse in Indiis Australibus, nondum detectis. Sed non opus est abire ad illas incognitas terræ partes; cum in notissimis & proximè adjacentibus regnis locum nullum inveniat, utpote in Dania, in Norvegia, in Suetia. In Arabia quoq; Armenia, Moscovia, Tartaria &c. aut parum, aut planè nihil loci obtinet. Quæ sanè regiones sunt partes orbis.

XXI. Hinc ratione Becani assumpta, sic contra Becanum argumentor: Quæ Ecclesia per universum orbem non est diffusa, illa non est Catholica: Romana Ecclesia non est per universum orbem diffusa: Ergo Romana Ecclesia non est Catholica: Major est ratio & causa Becani: Minor est modò demonstrata. Si autem Becano absurda est hæc conclusio: Quomodo non æquè absurdus erit elenchus, quo alibi contra nos utitur; *Catholica Ecclesia est toto orbe diffusa: Lutherana Ecclesia non est toto orbe diffusa: Non enim est in Asia, Africa, India: Nec item*
in Hi-

in Hispania, Lusatia, Lotharingia, non in melioribus partibus Italia, Gallia, Polonia, nec denique in omnibus Provinciis Germania & Belgij: Et verisimile est, nunquam futurum, ut per totum orbem diffundatur: Ergo Lutherana Ecclesia non est Catholica? Sane ut absurdum præcedentem nostrum Becanus, sic nobiscum non potest non æquè absurdum judicare hunc suum elenchum: cum ratio sit eadem & utriusque forma legitima.

XXII. Ut ergo argumento illo contra Pontificios non utimur: sic neque eodem, vel simili, eundem medium terminum habente, contra nos uti quit Becanus. Laborat enim Major elencho homonymias & causæ: Non enim Ecclesia dicitur universalis & Catholica, quod per universum orbem sit diffusa; Aliàs Ecclesia malignantium *Psalm. 26. v. 6.* laudem tituli Catholici præripere: cum semper major sit numerus impiorum *Matth. 22. v. 14.* Sed, vel quia jam sub regno Christi ad certum sive locum sive tempus, sive hominum conditionem, sive ordinem minimè est alligata *Matth. 18. v. 20. Act. 10. v. 17.* vel quia doctrinam cœlestem, unanimi Prophetarum & Apostolorum consensu & suffragio approbatam, fideliter tenet & amplectitur; ut ita quotquot per universum terrarum orbem dispersi, unius fidei Apostolicæ orthodoxa professione Catholicam constituent Ecclesiam, & verè sint Catholici: Vel quatenus Catholicum opponitur hæretico: Quò factum, ut pii quoque Imperatores, Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Catholicorum nomen illis tribuendum esse rescriberent, qui eam fidem ac religionem sectarentur, quam Divus Petrus Romanis tradidit, hoc est, qui juxta traditionem Apostolicam & doctrinam Evangelij, Patris, Filij & Spiritus sancti, unam Deitatem sub pari Majestate, & sub pia Trinitate crederent, *C. de summa Trinitate & fid. Catholica L. cunctos populos. Histor. Tripart. lib. 9. cap. 7.* Vel denique, quatenus Catholicum secundum vulgarem loquendi usum opponitur *τομικῶ* particulari: Ut Catholica dicatur Ecclesia, quæ cæteras particulares omnes, ubicunque etiam sint locorum, sub ambitu & complexu continet, qualis Ecclesia Catholica, potius *νοῦσι* quàm *αισθησι*, intelligitur,

B 2

neq;

neque ipso actu ita existit, sed tantum, ut cætera universalia, mente concipitur.

XXIII. Quocunque autem modo accipias Catholici nomen; Nequaquam eo negabitur, Lutherana Ecclesia Catholica: Quippe quæ, 1. neque ad certum locum, neq; ad certam hominum nationem vel ordinem est alligata. 2. Amplectitur veram doctrinam Propheticam. & Apostolicam. 3. A falsis doctrinis abhorret, & 4. deniq; in particulares Ecclesias potest dividi: Et hæc rursus in unam universalem colligi, & sub illa concipi.

XXIV. Quod igitur in minore Lutheranam Ecclesiam alligatam negat ad Hispaniam, Galliam, Lusitaniam, Indiam &c. facile concedimus, cum ex dictis pateat, eam propterea Catholicam negari nequaquam posse.

XXV. Secundam rationem, quam adfert Becanus, quod etiam *temporis ratione Catholica dicere queat*, facile concedimus: Cum militans hæc ad finem usq; mundi duratura sit, *Esaiæ 55. v. 10. Matth. 28. v. 20.* Triumphans verò in omnem æternitatem, *Dan. 2. v. 44.* Confessio nostra Augustana expressè idem dicit, idem docet, *quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit.* Et innuit id ipsum symbolum nostram Apostolicam, quo cōfitemur, *nos credere Ecclesiam.* Si enim credimus eam; sequitur, quod in materiâ fidei ponatur. Quæ igitur cum perennis sit, talem quoque Ecclesiam esse, haut obscure ostenditur. Vide sup. disputationem 12. hujus Collegij, thesi 61. & seqq.

XXVI. Tertia ratio, qua statuit Jesuita: *Quotquot salvantur, in visibili Ecclesia salvantur:* Falsa & nullo modo concedenda est. Siquidem sequitur ex illa: Quod nemo, qui non actu versetur in visibili Ecclesia, salvari possit. Dicitur quidem quod *extra Ecclesiam non sit salus:* Verum id non de visibili Ecclesia, & aspectabili cœtu est intelligendum, sed de invisibili; Non de corporali unionem & præsentia sive inexistencia; sed de spiritali & fidei firmissima, & adamantina conjunctione; ut, licet Christianus quispiam non sit vel possit esse in Ecclesia visibili, sed ab ea sit locorum spatii divisus; Nunquam tamen à
Catho-

Catholica Ecclesia separetur: Sed eam semper devotè adeat, & in ea spiritu & fide constanter persistat, exemplo Davidis, qui in persecutionibus suis coactus a pud impias gentes latitare, & omnis generis calumnias devorare, animo se cōjungebat cum illis, qui sacrificabant, & sitiebat apparere in conspectu DEI cum multitudine feriantum, & iteratis vicibus consolabatur animam suam, ut ne tristis sit & conturbata, sed speret in Deo, cui adhuc confessurus sit, *Psal. 42. & 43.*

XXVII. Eodem modo non desperandum est Christianis, extra Ecclesiam visibilem in captivitate Turcica detentis, vel in alijs remotissimis Africae & Asiae locis hærentibus. Nam licet hoc Becani iudicio damnentur; iudicio tamen spiritus sancti in numero sanctorum & salvandorum continètur, modò maneant vera fide in Christo. Qui enim in Christo manet, ille quoq; manet in vera Catholica Ecclesia, sive versetur in visibili Ecclesiae cœtu; sive extra illum apud extremos Garamantes.

XXVIII. Quod denique attinet rationes & causas, propter quas synagoga sive Ecclesia Judæorum non dici queat Catholica, sed à Catholica Ecclesia distinguenda sit, adductas nimirum à Becano, nullæ sunt: Quia enim prima & tertia negata est causa Catholice denominationis; quomodo in illis statuatur discrimen inter Ecclesiam Christianam & synagogam Judæorum? Secunda verò causa à Becano allata, licet non competat synagogæ veteris Testamenti, ut novi Testamenti Ecclesiis: Inde tamen non statim inferitur, quod synagoga Judæorum simpliciter non sit dicenda Catholica.

XXIX. Dicimus ergo nos, quod prima vera ratio, à nobis adducta, & secunda à Becano allata, non competant Ecclesie veteris Testamenti; Proindeq; quod secundum illas Novi Testamenti Ecclesia, dicta Catholica, veteri isti synagoge opponatur, quippe quæ intra angustias terræ Judaicæ se continuit, & non nisi ad tempus, adventui Christi servatoris destinatum, durare debuit, ordinariq; collecta ex solo Judaico populo, *τοπική*, sive *μερικὴ*, imò & *χρημικὴ*, non verò *καθολικὴ* appellari

pellari potuit. Contrà verò novi Testamenti Ecclesia ad nul-
lam circumstantiam vel loci vel temporis, vel etiam persona-
rum sive populorum alligata, convenienti admodum epithe-
to Catholica appellatur: uti hujus axiomatis rationem ex-
pressit Petrus Act. 10. v. 35. inquit: *In veritate comperi, quod Deus
non est personæ acceptor, sed in omni gente, qui timet Deum, & opera-
tur justitiam, acceptus est illi.*

XXX. Secundo autem nostro modo ac sensu Catholi-
cæ Ecclesiæ appellatio accepta, non tantùm Novi Testamenti
est propria; sed ex æquo communis fidelium cœtui tam veteris
quàm novi Testamenti: nam utrinq; una fides, una salus, una vi-
ta æterna obtinet *Ephes. 4. v. 5.*

XXXI. Quartum Ecclesiæ axioma, à Becano posi-
tum, est, quod Ecclesia dicatur *Apostolica*. De quo ita §. 14. Di-
citur *Apostolica* 1. *Qui: in Apostolis initium habuit.* 2. *Quia ab Apo-
stolis per orbem propagata est Roman. 16. v. 18. In omnem terram exi-
vit sonus eorum.* 3. *Quia sequitur doctrinam Apostolorum Gal. 1.
v. 18. Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam
quod evangelizavimus vobis anathema sit. Denique quia retinet suc-
cessionem Episcoporum ab Apostolis. Vide Tertull. lib. de præscriptio-
nibus adversus hereticos cap. 20. & duobus seq.*

XXXII. Respondemus primam rationem nos conce-
dere non posse, non enim Ecclesia Christi, sive Novi Testamen-
ti initium habuit in Apostolis: sed in Johanne Baptista & suis
auditoribus ac discipulis, item in Zacharia, Elisabeth & aliis,
qui omnes Apostolis fuerunt priores. Apostolica itaq; dicitur,
quia Evangelium de Christo ab illis ubique per totum orbem
solenniter est prædicatum, & literis traditum, proindeque ex
Judæis & Ethnicis una Ecclesia facta: Quod proprium esse de-
bebat Ecclesiæ Novi Testamenti: Cum vetus tantùm ad popu-
lum Judaicum esset restricta. Non ergo ab Apostolis fuit in-
itium hujus novi Testamenti Ecclesiæ, sed augmentum & com-
plementum. Quare secundam rationem Becani concedimus.
Tertia verò omnium optima est. Apostoli enim tanquam ju-
rati testes, aut potius tanquam tabularii publici, non humana
volun-

voluntate, sed à spiritu Dei acti, tabulas foederis authenticum-
que spiritualis connubij instrumentum Ecclesiae conficientes,
ab errandi periculo singulari praerogativa immunes fuerunt.
Quo etiam modo considerati scriptores hi θεόπνευστοι supra
Ecclesiam militantem sunt, ut ipsa scriptura, quam per ipsos,
tanquam calamos suos, exaravit Spiritus sanctus. Unde etiam
verè dicitur, quod Ecclesia fundata sit super fundamenta Apo-
stolorum *Ephes. 2. v. 20. Apoc. 20. v. 14.* Et sic verè Apostolica.

XXXIII. Ultima ratio est planè inepta. Ut enim in
populo Judaico impii Pontifices, licet successione istà verè
gloriarì potuissent, nequaquam tamen vera fuerunt Ecclesia:
contrà verò Prophetæ, Christus & Apostoli unà cum suis audi-
toribus, qui nullam ejusmodi obtendere poterant successio-
nem, vera fuerunt Ecclesia: Sic neq; Sacerdotum successio lo-
calis & personalis facit veram & Apostolicam: sed tantùm do-
ctrinalis: Cum neq; hìc insolens sit, ut successores Episcopi à
majorum suorum doctrina & pietate degenerent: Id quod fu-
turum, disertè prædixit Apostolus *Act. 20. v. 29.* Et impletum est
cum primis in successione illa subsequenter temporibus in
Novo Testamento, de qua agit Becanus, & Romana Ecclesia
gloriat, quippe quæ non alia est, quàm qua Tyrannus Regi;
Lupus pastor; Nox diei; Morbus sanitati; Mors vitæ succedere
dicitur.

XXXIV. Quod verò Tertullianus, ut & cæteri non-
nulli Patres, ad redarguendos hæreticos, successionem illam
commendant, id locum tunc habuit, cum doctrinæ sinceritas
adhuc vigeret: Ad quam confirmandam continua Episcoporum,
inde usq; ab Apostolis successio non parum momenti habuit.
Neque tamen simpliciter successione illa, ceu fundamento, Pa-
tres nitebantur; sed quatenus hæc cum doctrina, Apostolorum
scriptis prodita, consentiebat. Sic enim Tertullianus eo ipso
loco, à Becano allegato, hæreticos provocans, ut orthodoxo-
rum exemplo originem suam per Episcoporum, inde usq; ab
Apostolis successionem demonstrant; *Confinant, inquit, tale
quid hæretici: Quid enim illis post blasphemiam illicitum? Sed etsi
confin-*

confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diversitate & contrarietate sua pronuntiabit, non esse Apostoli alicujus autoris, neque Apostolici. Non igitur (etiam teste ipso Tertulliano) tam ad Episcoporum successionem, quam ad verbum Dei, scriptis Prophetis & Apostolicis comprehensum Ecclesia est alligata.

XXXV. Quintum Ecclesiae axioma, facit Becanus §. 15. esse sponsam Christi. Dicitur Sponsa Christi, inquit, quia Christus in dissolubili vinculo eam sibi conjunxit Osee 2. v. 19. Sponsabo te mihi in sempiternum. Et Ephes. 5. v. 31. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret uxori suae, & erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia habet autem haec sponsa tria privilegia. 1. Quod sit fecunda. 2. Quod semper virgo. 3. Quod ex latere sponsi progenita. Quae tria simul sumpta, nulli unquam sponsae obtigerunt. Beata Maria, Josephi sponsa, fuit quidem fecunda, & semper virgo: non tamen è latere sui sponsi progenita. Eva, è contrario, fuit ex latere Adami procreata & fecunda: Non tamen semper virgo. At Ecclesia Christi sponsa, omnia simul nata est. Ac primo quod fecunda sit, patet ex illo Gal. 4. v. 31. Non sumus ancillae filij, sed liberae. Quod virgo, ex illo 2. Cor. 11. v. 2. Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Quod ex latere Christi, colligunt plerique, ex illo Johan 19. v. 34. Unius militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Quomodo autem id intelligendum sit, dicam cap. 4.

XXXVI. Omnino Ecclesia est solius Christi, & non simul Papae Romani sponsa (ut sui oblitus, & sibi contradicens alibi cum caeteris papanis statuit, ac docet Becanus) idque dictis allegatis scripturae disertè probatur. Est enim Christus sponsus ille caelestis & filius Regis, cui pater aeternus nuptias fecit Matth. 22. Desponsans ei in justitia & misericordia Osee 2. v. 19. Ecclesiam, ex genere humano collectam, quam peccatis horribiliter infectam atque deformatam, abluit Christus per lavacrum aquae in verbo, & sponsam sibi sistit gloriosam, non habentem rugam aut maculam Eph. 5. v. 27. Expiatis nimirum & conlectis, & in profundum maris projectis peccatis omnibus. Mich. 7. v. 19.
Quam

Quam in hoc quidem seculo protegit, ac defendit contra inferorū portas, in magno autem illo die undequaq; perfectā redditam, tanquam electam & dilectam consortem, & coheredem celestium honorum in æterna gaudia sua introducet.

XXXVII. Concedimus quoq; primū privilegium tribui posse Ecclesiæ, licet non semper secunditas illa æqualiter sese exerat. Secundū verò ita competere Ecclesiæ visibili, ut nunquā à suo spōso defecerit, atq; sic virgo esse desierit, tā manifestè falsum est, ut tū ipsarum scripturarum, tū historiarum Ecclesiasticarū testimonio aut probatione nulla egeat. Quemadmodū etiam errat Becanus, existimans totā Ecclesiam visibilē esse sponsam Christi. Quomodo enim Christus & infideles hypocritæ, qui latitāt in visibili Ecclesia, una caro erunt? Allegat quidē Apostolū *Eph. 5 v. 31.* Sed ipsa verba adducta disertè arguūt, quod intelligi debeāt de vivis Ecclesiæ membris, nempe de illis, quæ cum Christo una caro sunt, quod, ut diximus, de membris mortuis ac infidelibus affirmari nequaquam potest.

XXXVIII. Neq; ipsum quicquam juyat dictum Pauli 2. *Cor. 11. v. 2.* *Respondi vos uni viro, ut virginem castam vos exhibeam Deo.* Verba diserta sunt, quib. Apostolus nō docet, qualis semper sit Ecclesia: sed qualis esse debeat. Quòd autē Ecclesia vera, olim virgo, corrumpi, & in falsam Ecclesiam degenerare possit, non obscurè docet idem Apostolus, versu statim sequenti *tertio: Sed metuo, ne qua sicut, ut quemadmodum serpens Evā decepit verusutia sua, ita corrumpantur mentes vestra à simplicitate, erga Christū.* Et extat similis querela *Esaie 1. v. 21.* *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* Et Ecclesiæ Orientales ab ipsis Apostolis plantatæ sunt hodie Mahometismi abomināda domicilia. Imò ipsa Romana Ecclesia, quæ Apostolorum temporibus casta virgo fuit, post aliquot seculorum decūrsū, divortium fecit à Christo, & Papā pro sponso agnoscens, in Babylonicam meretricem conversa est *Apoc. 17. v. 2 & seq.* Ubi ergo est privilegium de perpetua virginitate Ecclesiæ visibilis?

XXXIX. Pergit Becanus §. 16. ad sextum Ecclesiæ axioma, quo dicitur *domus Dei.* Dicitur *domus Dei,* inquit, *quia tamen si*

C

Deus

Deus ubiq; sit, ut ipsemet fatetur apud Jerem. c. 23 v. 24. Cælū & terram ego impleo: Tamen peculiari modo habitat in Ecclesia, tanquam in domo sua, propter specialem assistentiam & gubernationem, ut 4. cōclusionē explicandum est. Hanc domum ipse sibi adificavit supra firmā petram, ut nunquam ruitura sit (Matt. 16. v. 18.) In hac habet dispensatorem familiae suae Luc. 12. v. 42. In hac generat filios per baptismū, instruit per prædicationem Evangelij, nutrit per Eucharistiam, sanat per penitentiam & externam unctionē: In hac habet vasa omnis generis, aurea & argētea, lignea & fictilia (2. Timoth. 2. v. 20.) In hac celebrat convivium nuptiale (Matth. 22. v. 2.) Deniq; extra hanc neminem salvum esse vult, ut paulò post videbimus.

XL. Domum Dei dici Ecclesiā multis scripturæ locis certum est, 1. Tim. 3. v. 15. Heb. 3. v. 3. 1. Pet. 2. v. 5. cap. 4. v. 17. & Eph. 2. v. 21. 1. Pet. 2. v. 4. 5. alluditur ad veteris templi structuram. Axioma verò hoc competere omnibus visibilis Ecclesiae membris, falsum est: Neq; etiam ita denominatur ut visibilis, sed ut invisibilis. Unde etiam singuli fideles dicuntur templum Domini 2. Cor. 5. v. 16. & c. 6. v. 19. 2. Cor. 6. v. 16. Et ipsa domus Dei viventis, ædificata à Deo in montibus sanctis ψ. 87. v. 1. Esaiæ. 2. v. 3. Et fundata super æternæ salutis petram, Jesum Christum; qui totius structuræ fundamentum est unicum; præter quod aliud poni non potest, 1. Cor. 3. v. 5. Sicut scriptum est, fundati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super Christum in scriptura Prophetica & Apostolica unice demonstratū. Qui ut fundamentalis lapis dicitur, sic quoq; angularis Esaiæ 68. v. 16. Atque de hujus domus structura vaticinati sunt prophete passim, de muris ejus ψ. 48. v. 14. & ψ. 51. v. 20. Et gemmis ædificandis Esaiæ 49. v. 16. & 54. v. 11. Quæ impleta sunt, quando per Apostolos tanquam spirituales architectos hanc suæ Ecclesiae domum Dominus in toto terrarum orbe ædificavit.

XLI. Quod porro in hac domo Deus generet filios per baptismum, instruat per prædicationē Evangelij, nutriat per Eucharistiā, sanatq; per salutarem penitentiam, non negamus: Quod autē Becanus fictitium Pontificiorum Sacramentum extremæ unctionis admisceat, id probare non possumus. Quandoquidem pura
puta

puta traditio humana est, turpi *κακοζήλεια*, & prorsus supersti-
tioso ritu in Ecclesiā introducta. Unctio enim in primitiva, imō
etiā antiquiore prophetica, Ecclesia nihil fuit aliud, quā cura
ratio medica. Deus enim ut Patribus atq; Prophetis majorem
conciliaret autoritatē, inde usq; ab initio dono supernaturali
ipsum ornavit. Quē postea morem veterem Christus, mittens A-
postolos suos, & potestatem eis faciens miraculosē sanandi æ-
gros, renovavit. Hoc verò donum, ut cætera miracula, tan-
tū durare debebat, usq; dū doctrina Evangelii per universū
terrarum orbem diffusa & confirmata esset. Quod quia jam
abundē factum, dudum illud cum cæteris miraculis desit: Li-
cet dubium nullum sit, quin hodieq; Ecclesiæ precibus sani-
tas multis recuperetur.

XLII. Est ergo unctio hæc Pōtificia nequaquam illa pri-
mitivæ Ecclesiæ Apostolica: Quandoquidem hæc erat miracu-
losa, uti constat ex *capite 16. Marci v. 18.* Ubi hæc ægrotorū sana-
tio expressē numeratur inter *σημεία* sive miracula, haut minus
ac donum linguarum & ejectio dæmonum, & *1. Cor. 12. v. 9.* in-
ter charismata Spiritus sancti refertur. Quocirca diutius dura-
re non debuit, quā ipsum sanationis miraculosæ donū: Un-
ctio verò Pontificia fingitur Sacramentalis, ac propterea sem-
per usq; ad finem seculi duratura. Deinde Apostoli utebantur
oleo vulgari, cujus usus quotidianus erat in ægrotorū familiis:
Pontificii non cōmune illud adhibent, sed singulariter ad hūc
usum præparatum, nempe certo tempore per certā personam
à spiritibus immundis, & ab omni incurfione Sathanę mediāte
exorcismo liberatum & purgatum. 1. Apostolorum unctio erat
planē simplex: Pontificiorū verò superstitiosē ad certā sensuū
organa, & certā corporis mēbra dirigitur. 2. Apostoli inunge-
bant ægros tantū illos, in quibus erat spes convalescendi:
Pontificij contrā illos, de quorum vita jam conclamarum est. 3.
Apostoli ungebāt in finem recuperandæ sanitatis: Pontificii in
peccatorum & eorundem reliquiarum absterfionem. 6. Et tā-
dem Apostoli vim sanationis non per se unctio, sed orationi
adscribebant, ut ex verbis Jacobi patet: Pontificii contrā suæ

Q 2

unctio

unctioni certam quādam vim conferendi gratiam, & peccata remittendi, & infirmos alleviandi, tribuunt. Videatur *Tridentinum Concilium sess. 14. Can. 1. & 2.*

XLIII. Cæterum domicilium hoc Ecclesiæ militantis & visibilis, quo ad multas partes sæpius destruitur; Imò ejus pulcherrima cōclavia, olim in oriente splendē extructa, hodie jacent planē destructa, ut in illorum ruderibus satyri Mahometici nidulētur. Quod etiā Jesuita in domo hac agnoscat omnis generis vasa aurea & argentea, lignea & fictilia, & nos agnosci-
mus: Inde autem sumitur firmissima ratio, quod hoc quoque axioma de Ecclesia militante, & visibili tantum synechdochicē dicatur.

XLIV. Septimum & ultimum axioma adfert Becanus §. 17. *Ecclesiā esse columnā & firmamentum veritatis. Dicitur columna, inquit, & firmamentum veritatis, quia est columna firma & stabilis, quæ à veritate desletere non potest, & suā firmitate ac stabilitate sustentat suos filios, ne à veritate aberrant. Adversarii paulò aliter explicāt. Ajunt Ecclesiam dici columnam & firmamētum veritatis. Vel quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, quā in Ecclesia, ut vult Beza in commentario: vel quia Ecclesia est fida custos veritatis Dei, ut interpretatur Calvinus lib. 4. instit. c. 1. §. 10. Vel, ut loquitur in commentario, quia veritatem præconio suo celebrat, quia purā & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit: Vel denig, ut loquitur in cap. 43. Esaiæ v. 10. Quia veritatem tuetur & propagat, ut à posteris in omne ævū colatur. Hæc omnia serviēt nobis pro quarta cōclusionē.*

XLV. Ecclesiam ab Apostolo dici columnam & firmamētum veritatis notum est ex Epistola 1. Tim. c. 3. v. 15. Verum ibi expresso agit Apostolus de electorū Ecclesia invisibili, quippe quæ sola columna est, & stabilimentum veritatis: Sophisticè ergo accommodat Jesuita ad visibilem Ecclesiā: quod secundum externum quoq; ministerium ita sæpius à veritate deficit, ut columna veritatis nequaquam maneat; licet interim adversus Ecclesiam electorum invisibilem portæ inferorum non prævaleāt. Verū de hoc plurib. agetur in analysi cōclusionis 4.

XLVI. Porro cōclusionē tertia redit Becanus ad priorē
coccy-

coccyismum, & extra Ecclesiã visibilem, neminem posse salvari. concludit. Verùm contrariũ paulò antè demonstravimus thesi 26. & 27. Extra Ecclesiã quidem nemo potest salvari: non autem propterea extra visibilem Ecclesiã particularem. Quandoquidem licet quis fidelis sit extra hãc, non tamen propterea est extra invisibilem & universalem Ecclesiã. Qui enim (ut diximus) est, & manet vera fide in capite suo Christo; is quoq; est, & manet mēbrum corporis Christi, & sic verum membrum Ecclesiã; proindeq; est in Ecclesia, vera fide autem quis prãditus esse potest, sive sit in cœtu visibilis Ecclesiã; sive extra illum, inter ipsos Turcas & Atheos, versetur.

XLVII. Probare nihilominus erroneam suam sententiã conatur Becanus §. 18. autoritate Patrũ. *Ita passim docent Patres, inquit, Augustinus lib. de unitate Ecclesiã c. 19. Ad ipsam vero salutẽ, inquit, ac vitam eternã nemo pervenerit, nisi qui habet caput Christiũ. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia. Et epist. 50. ad Bonifaciũ comitem sub finem: Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cujus ille caput est salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus S. Et paulò post. Non habent itaq; Spiritum S., qui sunt extra Ecclesiã. Et Epistola 152. ad Donatistas. Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimat, hoc solo scelere quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Et Sanctus Gregorius lib. 14. moralium c. 2. Sãcta universalis Ecclesia prãdicat, salvari veraciter nisi intra se, non posse, asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minimè salventur.*

XLVIII. Verùm quis adeò infirmi est iudicii, qui crassissimũ Becani sophisma, quod in hisce Patrum allatis testimoniis cõmittit, non intelligat, & non quasi manibus palpet? Sanè Augustinus neq; allegatis dictis, neq; alibi dicit, aut docet, extra Ecclesiã visibilem neminem salvari posse, sed hoc duntaxat nobiscum asserit, quod nemo extra Ecclesiã possit salvari, quare cũ sic nobiscũ rectè statuatur, neq; contra nos, neq; pro Jesuitis allegari potest. Sic Gregorius expressè loquitur de Ecclesia universali: Extra quam neminem salvari posse, & nos firmiter statuimus;

Jam verò probandum est: Quod is, qui in visibili Ecclesia non versatur, & nihilominus vera fide in Christum est præditus, à Christi unitate disjunctus sit. Verùm, quomodo probabitur id, quod cōtradictionem implicat, & sic manifestò falsum est? Ac qui verò contradictio est, vera fide adherere Christo, & ab unitate Christi esse disjunctum. Quare necessaria consequentia & connexio erit. Quod is, qui vera fide adheret Christo, revera sit in unione Christi, & sic in Catholica Ecclesia; Ubiq; etiam locorum vivat, sive inter Christianos sive inter Turcas.

XLIX. Pergit Becanus & §. 19. & 20. & suam sententiam testimoniis adversariorum suorū probare conatur: *Consentiūt, inquit, adversarii, Calvinus lib. 4. cap. 1. § 4. Verū, inquit, quia non de visibili Ecclesia diff. rere propositum est, discamus vel uno matris elogio, quàm utile sit nobis ejus cognitio, imò necessaria: Quando nō alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi aliat suis uberibus. Deniq; sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus angelis. Et paulò post: extra ejus gremium, nulla est speranda peccatorum remissio, nulla salus. Et rursus §. 22. tria, inquit, hęc nobis observanda sunt. 1. Quamlibet sanctitate polleant filii Dei: Hac tamen conditione semper esse, quādiu in mortali corpore habitant, ut sine peccatorum remissione consistere nequeant coram Deo. Deinde hoc beneficium sic esse Ecclesie propriū, ut non aliter eo fruamur, quàm si permaneamus in illius communionem. 3. Per Ecclesie ministros & pastores nobis dispensari, vel Evāgelii prædicatione vel Sacramentorū administratione. Et Philippus Melancthon in examine ordinandorum tit. de Ecclesia. Non loquitur, inquit, de Ecclesia, ut de idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam juxta dictū: Dic Ecclesia. Hęc necesse est intelligi visibilem Ecclesiam. Et mox quaerit, an necesse sit, singulos homines salvandos fieri cives hujus Ecclesie visibilis? Et respondet his verbis: Prorsus necesse est.*

L. Dicimus cum Domino Meyfarto quod res est: Jesuita tam Calvino quàm Philippo facit injuriam. Calvinus enim agit de Ecclesia Catholica & universali, quæ certo modo ac respectu visibilis est, proindeq; ipsi sic dicitur. Deinde si omnino verba Calvini de Ecclesia, quatenus visibilis, sint accipienda; Intel-

Intelligenda utiq; sunt modo ordinario, non de casu necessitatis: Quo quis cogitur versari extra cœtum visibilem Ecclesie inter infideles.

L I. Deinde in allegatis Philippi verbis manifestum crimē falsi committit Jesuita. Melancton enim concedit omninō dari visibilem Ecclesiam, disputās contra illos, qui Lutheranis affingebant hanc absurdam sententiam, Ecclesiam nullam dari visibilem. Inde verò sequentem quæstionem sic format: *An necesse est singulos homines salvandos fieri cives vera Ecclesie?* Et respōdet: *Prorsus necessum est, singulos salvandos junctos esse cum vera Ecclesia, fide, confessione & invocatione Dei.* Ergo juxta Philippum illi sunt in numero salvandorum, & sic in Ecclesia, qui cum illa fide, confessione, & invocatione juncti sunt. Atque hoc modo cōjuncti esse, & manere possunt, licet urgente necessitate non versentur in visibili Ecclesie cœtu.

L II. Adfert porro Becanus hujus sui erroris causas, ut opinatur ex Augustino & aliis §. 21. *Ejus rei, inquit, varia assignantur causa ab Augustino serm. 181. de tempore. 1. Quia in sola Ecclesia immolatur hostia redemptionis. Altera in sola vinea laborantes mercedem denarii accipiunt. 3. Omnes, qui extra arcam Noe fuerunt, diluvio extincti sunt. 4. Membrum quod non manet in corpore, vitam habere non potest. 5. Ramus praeclusus ab arbore, non potest germinare. 6. Rivus à fonte separatus, arefcit.* Alii hanc addunt: *Christus est sponsus Ecclesie: At Christus non est adulter, nec generat Filios ex adultera, Ergo non generat filios, nisi ex sponsa sua Ecclesia. Nemo ergo filius Christi est, nisi matrem agnoscat Ecclesiam.* Huc spectat Cyprianus in lib. de unitate Ecclesie, cum ait, *non habet Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Et Augustinus lib. 4. de symbolo ad Catechumenos cap. 13. *Si quis absq; Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum: Nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.*

L III. Sed eodem modo ad omnes illas rationes & dicta respondendum est, quod respondimus thesi 48. Et committere Jesuitam Elenchum ignorationis elenchi. Quandoquidem nulla contra nos quicquam concludit. Non enim est in quæ-
stione,

stione, an illi qui in Ecclesia prorsus non sint, possint salvari: Sed. an illi, qui non sunt in Ecclesia visibili, possint salvari. Nam hoc non illo modo formavit ipsemet Becanus suam conclusionem & statum controversiæ. Cum igitur adductæ rationes non negent hanc posteriorem, sed illam priorem, quæ extra controversiam est, liquet, Becanum non contra nos, sed fictas & pictas suas larvas pugnare ac disputare.

LIV. Tandem allegat dictum scripturæ pro sua sententia §. 22. Eodem pertinet, inquit, vaticinium Esaia cap. 60. v. 11. *Aperientur porta tua jugiter: Die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur: Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit. Quibus verbis duo prædicit, unum, quod Ecclesia Christi futura sit visibilis, quæ pateat omnibus gentibus, si velint intrare. Alterum, quod omnes sint perituri, qui eam ingressi non fuerint.*

LV. Quod dictum illud possit intelligi de vera Ecclesia visibili; simulq; minetur æternam damnationem, qui in illam non fuerint ingressi; non inficiamur. Quis enim ex nostris negavit unquam: vel Christi Ecclesiam visibilem; vel etiam perituros illos, qui se cum Ecclesia Christi non jungunt? Quæ autem est consequentiæ ratio aut necessitas: Ecclesia Christi est visibilis, & qui se cum illa non uniunt, illi peribunt: Ergo qui sunt extra Ecclesiam visibilem, non possunt servari, sed necessario peribunt. Nulla sanè: nam fidelis, ut sæpius dictum est, potest esse extra visibilem illum cœtum veræ Ecclesiæ; & nihilominus illi adherere, & conjunctus esse fide, spe, confessione & invocatione veri Dei. Haftenus quoq; de tertia questione.

πάντες δόξα Θεῷ.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







49

TERTII Confessionem

ARTICULO XVI.

tenens

ARTICULI VII.

ECCLESIA,

Specie,

Confessionibus, Ecclesiam visi-
bilibus, Apostolicam, Sponsam
& firmamentum veritatis:
in Ecclesiam neminem
solvari.

scripta

in Universitate VVittebergenli,

ARTICULO

ARTINI S.S. Th.

Primario, Facult. Theol.

Magistri Arcis Præposito,

PRÆSENTE

Magistro / Alfeldiâ-Brunsvigio.

Collegii Veteris

Julii.

VERGÆ,

JOHANNES HERBACH, Acad. Typogr.

MDCCCXXX.

